

DISSERTATIO DE SUDORE SANGUINIS JESU CHRISTI IN HORTO OLIVARUM ad Luc.22. 43.44.

M Alorum, quæ Jesus Christus toleravit, & Crucis ejus meditatio variorum variè animos affecit. Fideles ædificandis moribus exemplum retulerunt, asserendæ fidei suæ argumentum; Infideles vero ansam scandali & infidelitatis. Usque ad hanc diem Dominus odor est mortis viris perditissimis; odor est ceteris vitæ in salutem (a); nunquam non Jesus cruci suffixus scandalum fuit Judæis & pravis Christianis; sicut & virtus & robur Dei sinceris fidelibus (b). Verbum enim Crucis pereuntes quidem stultitiam est; iis autem, qui salvi sunt, Dei virtus est.

a 2. Cor. 2. 16.

b 1. Cor. 1. 18.

Angor Jesu Christi in horto olivarum, expressusque è corpore sudor sanguineus, tanquam argumentum certissimum de veritate carnis illius, humanis infirmitatibus omnibus subjectæ, habitus est à nonnullis; unde pariter causam suam roborarunt adversus illos, qui veritatem ejus Incarnationis negantes, nonnisi specie mala perulisse asserbant (*). Alii verò suspicati, ne Christiani nominis ofores eâ historiâ abuterentur, ut indigna Jesu Christo incommoda tribuerent, totum Textum ab Exemplaribus suis expunxerunt; quemadmodum hodie pariter in multis vetustis Græcis Exemplaribus (c), & olim etiam in multo pluribus Latinis desiderabatur. Nec sanè ignorandum nobis est, ait S. Hilarius de Trinit. l. 10. c. 41. & in Græcis & in Latinis Codicibus quamplurimis vel de adveniente Angelo, vel de sudore Sanguinis nihil scriptum reperiri. Addit nihil inde discriminis sive in veritatem creati, sive juvari errorem; quod scilicet incertum sit, quæ vera lectio inter tot Exemplarium varietates reputetur; Ambigenti- bus igitur utrum hoc in Libris variis, aut desit aut superfluum sit (incertum enim hoc nobis relinquatur de varietate Librorum) &c.

* Vide Epiph. Anchorat. c. 31. 32. 33.

c Deest in Mss. Alex. Bodl. 4. 5. Cod. Leicestr. Copht. Paris. 6. Syri quidam, teste Photio Epist. 138. Plurimi Latini, testibus Hieron. l. 2. contr. Pelag. & Hilar. l. 10. de Trinit. Plures Græci, teste Epiph. Anco rat. c. 31. 32. 33. † Dialog. con. Pelag. l. 2. d Luc. 22. 43. 44.

nis decurrentis in terram. Infert ex his, Dominum nostrum eò imbecillitatis venire voluisse, ut Angeli consolatione indigeret; tum & sudoris sanguinei causam, repetit ex orandi ardore ac vehementiâ: Tam vehementer orabat, ut gutta sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione susurus.

S. Hilarius loco citato hæc habet: Sudorem verò nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam est sudare sanguinem; nec infirmitas est, quod potestas non secundum naturam consuetudinem gessit.

Beda Venerabilis verba ferme omnia S. Hilarii exscribit in Luc. l. 6. c. 22. ratus, sudorem Jesu Christi, prodigiosum omnino, evertere hæresim illorum, qui phantasma & speciem tantum hominis in Jesu Christo agnoscunt: nec ambigit, reipsâ sanguine sudasse, cum ex irrigatâ ejus sanguine terrâ allegoriam deducat, demonstrantem totum ab ipso mundum merito passionis suæ salvandum fuisse.

Agnoscit S. Epiphanius Anchorat. c. 31. locum hunc ex Evangelio S. Lucæ in Codicibus Græcis permultis erasum fuisse, piâ fraude Catholicorum quorundam, metu ne quid fortè sinistri inde deduceretur; non intelligentes quid dispendii in veritatem proveniret. Addit, S. Irenæum usum eo loco in suo opere adversus hæreses ad probandam Incarnationis veritatem [e].

e Irenæus l. 3. c. 32. f Loc. cit. c. 37. pag. 42.

Utitur pariter eodem loco idem S. Epiphanius (f) ad ipsum idem dogma asserendum, demonstrans, lacrymas & sudorem res esse merè corporeas: simul autem ostendit, infirmitati Jesu Christi nequaquam tribuendum, si Angeli alloquio confirmatus est; non enim Angelorum consolatione ille indigebat, ad cujus aspectum caelestia terrestria & inferna genuflectuntur (g). Suspicatur Grotius in Lucam 19. 41. hanc Exemplarium correctionem nonnisi Episcoporum autoritate inductam; verosimilius tamen crederetur, ita cum illa contigisse, quomodo cum aliis permultis, ut Amanuensium audaciâ, seu nimîâ Semisophorum quorundam religione, putantium locum hunc invidiam Jesu Christo creare, expungeretur; vel ad oram Codicis Textus ille veluti cautè legendus adnotatus,

g Philipp. 2. 10.

h Contra Noet. c. 18. edit. Fabric. Item ser. de Resurrect. apud Anastas. Sinait. in Hodego. pag. 356. * Epist. 138.

i Grot. Erasmi Variat.

k Hor. Hebr. in Lucam.

l Vide Grot. Hamm. Price. & Binaum de morte Christi l. 2. c. 130.

ansam dederit suppressionis in nonnullis Exemplaribus.

Nihil tamen hoc valuit, quin Mss. ple- raque Græca & Latina, ac impressa omnia nostræ ætatis facta recta maneret. Vidimus superius apologiam pro illo S. Epiphani, in ejus suffragium adducentis locum S. Irenæi. Eandem pariter sententiam, quam Irenæus, refert, etiam S. Hippolytus (h), S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, S. Chrysostomus in Matthæum hom. 84. Ammonius in Concordia, S. Augustinus in Libro de concordia Evangelistarum, & Patres alii post ipsos. Photius ad Theodorum amicium suum scribens, monet (*) ne unquam committat, ut quorundam Syrorum autoritate permotus, locum hunc è Textu S. Lucæ veluti alienum expungentium, illum rejiciat. Porro Syris illis persuaserat metus, quod indecorum Jesu Christo videretur, ut eo dolore oppressus esset, quo Sanguineus sudor exprimeretur. Syrorum nomine hic Armeni facile designantur, quos locum hunc & historiam scemina adulterâ expunxisse ex Evangelio, accusat Nikon, de pessima Religione Armenorum.

Post relatas Patrum sententias de varietate ledionum eo loci in Exemplaribus Græcis & Latinis occurrentium, modò Textus illius sensus eliciendus est, juxta varias Interpretum opiniones. Scribit ergo S. Lucas 22. 44. de Christo: Factus in agonia precem ingeminabat, sive juxta Textum, Prolixius orabat (i). Sed Græcus ad literam habet: Rogabat instantius, nempe majori ardore, affectu, & perseverantiâ. Agonia Jesu Christi horror erat, ad aspectum mortis, & instantium tormentorum conceptus. Græcum agonia significat ad literam motum quandam hominis strenui, cui damnum aliquod imminet, nec tamen ad ejus aspectum despondet animi, sed horrescit, & conturbatur; & quamquam horrore & cordis agitationi resistit, hoc ipso angor ejus augetur; agone enim Græcè est pugna, discrimen. Hunc ipsum agonem & luctum spontè, & cogente nemine, Jesus subiecit.

Censet Ligfootus (k), Angelum quidem non antè Christo apparuisse, quam post acrem Jesu Christi cum Dæmone luctam. Dæmon enim horrendum quoddam monstrum præferens, videndum se obtulit, totamque in illum rabiem ac furorem excussit. Venit tunc Angelus ad confirmandum illum qui contra Dæmonem pugnabat: In agonia. Singularis hæc est viri sententia rationibus destituta, cum apud quatuor Evangelistas altum sit de viro Dæmone silentium.

Prosequitur S. Lucas: Factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Plures in hæc verba quæstiones. 1. Contendant nonnulli (l), nunquam satis aperte è Textu S. Lucæ demonstrari, Jesum Christum sanguine sudasse, sed tantum veluti guttis sanguinis stillasse, idest sudorem, uti cæteri quidem omnes, emisisse, sed multò cæssorem & majori copiâ, ut in ejus corpore veluti globulos, guttis san-

guinis simillimos, formaret, quod alii corpori adhereret, alii ad terram usque diffluerent. Observant, S. Justinum Martyrem in Dialogo nihil de sanguine, sed tantum de sudore locutum. S. Hippolytus semel & iterum ad hunc locum S. Lucæ spectans, non nisi sudoris meminit. Theophylactus & Enthymius observant, S. Lucam non scripsisse: Factus est sudor ejus sanguis, sed velut gutta sanguinis. Sed Textus S. Lucæ eam expositionem non patitur. Vox Græca Thrombon sonat sanguinem concretum. Ita pariter obtinet apud Græcos, ut Thrombos appellent concretum sanguinem, & parvulum quendam tumorem post eductum è vena sanguine extra vas coagulatum, & in globulos concreto circa cutem efficitur. Profectò nihil tale scimus de sudore, qui non figitur. Sudor itaque Christo humor erat è sanguine sudore mixto; seu potius sanguis pariter, & sudor eodem temporis momento è corpore stillarunt; cum interim concretum statim sanguinem fluidior sudoris humor veluti vehiculum ad terram usque deduxit; seu potius sudor sanguineus tantâ copiâ manabat, ut ad terram usque deflueret, quod per humentem sudore cutem facile devolveretur: vix autem terram contingens concresebat.

2. Reputant alii, sudorem hunc merum esse sanguinem, quam sententiam tenuisse videtur S. Augustinus in Plog. 11. dum scribit: Toto corpore sanguis exibat: ita Ecclesia ejus habet Martyres, per totum corpus ejus fusus est sanguis. Ita pariter sensisse videtur Maldonatus in Matt. 26. 37. & Beda Venerabilis.

3. Censet Photius (m), verbis S. Lucæ tantum designari hyperbole quadam & exaggeratâ loquendi phrasi intimum doloris sensum, & supremam J. C. virium & animi destitutionem. Proverbiali ille formulâ utitur, quam nos pariter usurpamus de homine, qui plurima toleravit, illum enim sanguine & aquâ sudasse dicimus. Ita ergo Evangelista ut mororis immensum illud pondus, quo Jesus in horto opprimebatur, vividis coloribus depingeret, scripsit sudasse toto corpore, veluti guttis sanguinis decurrentibus in terram, uno verbo sudasse sanguine & aquâ: Salsusque per artus sudor iit.

4. Miraculo rem totam tribuisse S. Hilarius, supra jam observavimus; ex qua pariter argumentum ducere non de infirmitate Christi, uti Ariani, sed de potentia divinitatis. Nec infirmitas est, quod potestas non secundum naturam consuetudinem gessit. 5. Communis tandem opinio tenet, sudorem illum sanguineum naturalem quidem fuisse, sed majori expressum vi & copiâ, quam solet plerumque. Exemplum quidem multa suppetit de sudore sanguineo, ex inopinato quodam terrore seu discrimine sine miraculo educto.

Quid possint in hominum corpora passionis, ex variis omnibus exploratis exemplis satis constare arbitror; intemè enim ad eò spiritus corpori necitur, ut unius motum

m Ep. 138. ad Theodor. Vide etiam in hanc sententiam Ethymium, & Theophylactum.

tum in alterum redundare necesse sit. Ita animam passionibus commotam, movetur & corpus; sicut turbata corporis œconomia anima pariter angitur. Quid in hominibus plerisque causet pustularum, seu aliterius cuiusque contagiosi morbi metus, frequentibus exemplis docemur. Totam sanguinis massam agitatam, turbato oscillationum & secretionum cursu, contrahitur actutum morbus, & ea salutem affert incommoda, quae raro evitantur. Quid vehementius aliquod gaudium? Nonne eius vi oppressos plures legimus in historia? Porro nomine passionum designamus hic emotiones omnes, quas consensu quodam turbati sanguinis & spirituum animalium anima patitur.

n De Fide l. 3. c. 20.

Porro ab huius generis passionibus Jesus Christus immunis non fuit; sunt enim, ait Damascenus (n), naturales, & innatae, nempe naturae humanae appendices, quibus gratia & scientiae perfectio omnes cohaerere utique possunt. Illud unice intercessit inter Passiones Jesu Christi, & nostras differimen, juxta eundem Patrem, quod Jesu Christi passiones voluntati ejus per omnia obsequerentur, nostrae verò praevenerint voluntatem; & juxta S. Augustinum de Civitate l. 4. Hos motus certissima dispensationis gratia ita cum voluit suscepit animo humano, sicut cum voluit factus est homo. Si autem passionibus huius reliquo vitae tempore obnoxius fuit Christus, negaret utique nemo, totum illarum exercitum Virum invasisse in horto Olivarum, ac omnium maxime mortis metum imminuentem, ait enim: Tristis est anima mea usque ad mortem. Objectus est tunc oculis ejus totus probrofa illius mortis terror.

Præscientia divinae artificiosum factum est, ut ejus mortis facies omnes Christo exhiberentur; certam intellexit, sensit ejus opprobria, & indigna omnia, quae se manerent; nihil terribilium molestum tunc Jesum fugiebat, miser hominum status, criminis immanitas, ingrati animi vitium, saevitia, & caecitas Judaeorum, imbecillitas S. Petri & Apostolorum: ea simul omnia Spiritus ejus agnoscebat. Cum tandem vis tota Divinitatis veluti suspensa retineretur, perinde se habebat, quasi à Patre derelictus, ut in eas veluti querelas prorumperet: Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Tantum se igitur morori concessit, tantoque dolore oppressus est, quantum humanitas vix caperet.

Tot simul confertae passiones cursum animalium spirituum interceperunt, repraesentant sanguinis motum, ac secretiones tandem omnes. Verum animis deinde confirmatus Jesus ab Angelo, ac voluntati divinae se totum submittens, hominum insuper charitate inflammatus, ad amplectendam mortem animo convolvavit. Redditus tunc pristinus spirituum cursus, reclusi cutis meatus, sanguis unam cum sudore defluxit: quemadmodum solet subiectus in medio annis alveo agger; tumescunt enim aquae, ac tandem obice disrupto, impetu majore in arva prorumpunt. Ita pariter in accessu ardentium febrium contingit, in

erethismo solidorum omnium, arescit enim cutis exsanguis; sed febris resoluta & violentis illis contractionibus remissa, effuso quodam sudore morbus effluit.

Spectamus hac non infrequenter, si quando aliquis subito & inopinato quodam metu terrore opprimitur; pallescit ore, nutat artubus, & contremiscit; sed post modicum vel longius aliquod temporis spatium pro metu granditate; tandem si terror ille perseveret, vel maxime augeatur, cor palpitatur, tum cutis humescit, & sudor stillat; nec rari sunt quibus sanguis erumpit è naribus vel è secretionibus corporis partibus.

Horum porro symptomatum in causa est, quod cum primum insit metus, motum suum comprimunt spiritus animales, ex quo minus valida & frequentes contractiones in corde resultant; quare minus valide repulsus in arterias & in extremas quascumque corporis partes sanguis, partem relinquit faciem, trementes artus & genua labantia. Cum autem nihil vel parum sanguinis recipiunt arteriae, sanguis tamen vel proprio pondere vel peristaltico ipsarum motu in venas impellitur; ex quo factum, ut sensim desistantur sanguine arteriae, ac venae magis magisque redundantes majorem, quam soleant, sanguinis copiam referant ad cor. Cum autem cor sanguinem arteriis non suppedietur, ac novum subinde & novum recipiat à venis, sanguine oppletur, quo proinde ventriculorum membranae, fibrae & nervi, magis quam pro consuetudine distenduntur, quare ad majorem etiam contractionem adigitur cor, ut redundantem è venis sanguinem pellat. Cum autem elasticum quoddamque corpus ea proportione contrahatur, qua distenditur, qui cordis ea occasione nisus fuerit, judicandum Lectoribus relinquimus.

Si enim integro corporis statu vis contractionis seu vibrationis cordis tantum, ut nihil de arteriis dicamus, aequat in singulis pulsationibus pondus 3000. librarum (o), quantum ea occasione vis illa intendatur quis aestimet? Redundantem igitur sanguinem depulsurus, contrahetur maxime cor; eademque proportione vim suam elasticam exerent nervi pariter & fibrae; quare auctis oscillationibus motus & undulationes in arteriis resultabunt; quae cum ipsae pariter sint in contractione, maximo profecto impetu sanguinem ad extremitates capillares propellent, quin & ad ipsa cutis vasa, non nisi ad recipiendas serofas sanguinis partes disposita: succedit inde post pallorem palpitatio, & coacta quaedam ac praecipua transpiratio, unde & post uorem sudor.

Facile inde intelligimus, quomodo in vehementi quodam morore sanguineus exprimitur sudor; quam in rem animadvertendum est. In humano corpore discurrere venas & arterias; arterias autem cum venis anasthomosi ita continuari (p), ut unus singularis sed recurvus canalis venae pariter & arteriae reddatur. Est autem arteriae os extremum veluti extremus con-

O. Borell. de motu animal.

p Bellini de motu bilis p. 146.

q Strom. Theorica nova pag. 31. r Strom. ibid. pag. 83.

angulus (q), eo in loco desinens, quo incipit extrema cuspis venae, quae pariter in conum desinit (r); ut proinde arteria latam habens circa cor canalem sensum decrecat, & secundum suum alveum ramos ad dexteram & sinistram demittat, in quos scilicet ramos exonerat albam sanguinis partem, secretionum omnium, nutritionis occultae, transpirationis, & sudoris materiam.

2. Sudorem per cutis poros, nempe per orificia glandularum cutanearum, effluere; occultam verò transpirationem per angustiores alios corporis meatus.

3. In imbecilli cordis contractione cum primum opprimitur metus, extrema pars nervorum, qui vasis cutis junguntur, deficientibus animalibus spiritibus, lassescere; spiritibus, inquam, quibus vis elastica ita detinetur, ut nervi tactui serviant. Cum autem tunc corporis etiam motus paulo evadat languidior; fit inde, ut meatus corporis magis pateant, et facilis, quod juxta recentiores exactissimos Anatomistas (s) detecta sit in singulis poris cutis pellicula quaedam semicircularis, locum tenens valvulae, quae fibras nervorum amplectens, stringit & relaxat, pro data opportunitate; ex quibus proinde etiam pori cutis adstringuntur relaxanturque.

s Malpighus Primarius Medicus Innocentii XII. & Verheyen in sua Anatomia.

t Anton. Benvenerius de abditis morbor. causis cap. 4.

u. Philosophicolog. c. 16. art. 13. sect. 24.

Docet autem experientia, meatus illos ita laxari quandoque, ut non sanguini tantum via pateat, sed & sabuli etiam granulis, ut in arthriticis (t); quin & teste Vanderlinden (u) ita patuerunt quandoque, ut hordei granum exciperent.

Quibus ita constitutis, si ingens aliquis terror & probrosa mortis horror, solaminis destitutio, sanguinis & subtilium spirituum ad motum expeditorum maxima fluiditas simul jungantur, nullo profecto negotio naturalem causam sanguinei huius sudoris assequemur.

Etenim, juxta constituta à nobis principia, cor subito oppressum terrore, motum habens languidiorum, cum sanguine plus nimio gravaretur, ut incommodum onus repelleret, vim exerens suam, sanguinem illum subtilem maxime & spiritibus antea repraesentis redundantem, propulsavit in vacuas arterias, dilatari faciles & refringit. Facile inde concipitur, quomodo validis huius & ingeminatis concussionibus, & in maxima arteriarum contractione sanguis facile majori impetu usque ad arterias capillares propelleretur. Cum autem sanguinem reiteratis huius cordis & arteriarum contractionibus motum pariter suum progressivum, & peristalticum augere necesse sit, fit inde, ut principia ejusdem sanguinis inter se confusa & admixta fibras omnes dissolvant, rubicundae ejus partes attenuentur, attenuentur, cum serosis confundantur, in unum cum illis corpus coalescentes.

Regurgitans ergo in arteriis sanguis, & vi cordis atque arteriarum validius impulsus, in arteriae cuspidem, quam capillarem arteriam vocamus, impinget; sed cum angustior sit vasis huius hiatus, ac minor, quam ut massam regurgitantis sanguinis

capiat, nec ferat impetus urgentis vehementiam, lassescere illud necesse est in extremitatibus capillaribus, ubi velut agger opponitur sanguini è corde profilienti, ex eo maxime, quod angustius contrahantur vasa illa, quod magis à corde recedunt. Ita ergo per rectam lineam à corde sanguis impulsus, premente ad latera systole arteriarum, nec extremitatibus capillaribus liberum meatum praebentibus, cum nec effugium habeat, nec requiem, urgentibus undique omnibus, quaerit, ut evadat; quare insinuare se coactus, cum serositate per vasa ad latera canalis sui patentia dilabitur.

Cum autem, ut supra observavimus, arteria secundum canalem suum plures emittat ramos ad dextram & sinistram, quibus apta transpirationi & sudori materia feceritur, in eos se ramos insinuans sanguis, per dispositam serositatis viam duceatur ad usque glandulas cutaneas, quibus lassescitibus, atque plusquam par est reclusis, destitutis pariter animalibus spiritibus, stillabit è poris illis sudor quidam sanguineus. Ita pariter spectamus, cum violenta subita tussi excreatur sanguis; nec tamen inde statim inferas, ex pulmonis vasis disruptis vitium illud induci, (raro enim tunc eo vitio affecti convalescerent) sed violenta quadam pulmonis contractione vasorum diametra plusquam par est distenduntur, unde sanguis coactus per vesiculas pulmonis insinuatur. In inflammationibus ocularibus idem pariter recurrit; cum enim vasa lymphatica, super corneam discurrunt, sanguine regurgitent, oculus momento citius sanguinis colore inficitur; emissio sanguine cessat morbus, quia decretescens sanguis in vasa sua recipitur, iter suum prosecutus. Nec aliter explicatur contingens saepe nutritibus symptoma, quarum ubera lacte destituta sanguinem reddunt, (quamquam glandulae illae maxime à cutaneis discrepant, sunt enim non glandulae potius quam glandularum acervuli) (x).

Ex istis etiam principia idea quadam formatur saevissimi illius & recens obtinentis morbi Polonici, quem nos Pleam Polonicam appellamus, in quo crines omnes capitis, & corporis pili sanguine stillant. Porro luem hanc Joannes Stadlerus Medicus omnium primus anno 1564. observavit, uti tradit Hercules Saxoniae Medicus Patavinus (y). Crispantur in eo coma, tumescunt maxime crines, intricato invicem plexu neantur, ut Meduseam spectares, sive furiarum poeticam comam mille anguium plexu horrentem. Porro, si fides sit Schenkio (z), tumescunt ad digitum crassitudinem interdum crines, & adeo augetur barba, ut ad ventrem usque non raro descendat.

Quae autem singularis huius morbi est indoles, promovere morbum non tollere, Medici est sapientis; si quis enim radere crinem vel barbam ausus fuerit, ille pro valeudine discrimini erit aegroto. Testatur enim Aloysius Sinapius (a) vidisse se quosdam intimo capitis dolore affectos, tum

x Bergerus d. Natur. Hame p. 113. Pitcarum. dissert. p. 29. Ruyfch. Thesaur. passim.

y In Tract. de Plica p. 11. Patavii 1600. in 4. z Primo Libr. Obserz. de capite.

a Absurda vetera, seu paradoxo medica in 8. Geneva 1697.